

1570 rum navigiorum numerus , quos *Caramussolinos* Turcæ vocant : his quinquaginta ad equitatum transportandum hippagogæ adjiciebantur , haud multum a nostris triremibus forma diversæ , puppibus tamen latioribus , erectioribusque lateribus , quo commodius & onerari , & jumenta continere possent . Omnibus itaque comparatis , e Ciliciæ portu in Cyprum contendere , atque eam insulæ partem , qua optimum egressum esse , ab exploratoribus cognoverat , Mustaphas capere statuit .

Magistratus interea Reipublicæ cum immensam belli molem jam imminere intelligerent , summo studio , atque animorum contentione ad bellum necessaria curabant . Commeatus in oppida , arcesque munitas convehere , incolas militiæ adscribere , oppida munitiora reddere . Hestor Baleonius , qui in Italia præfecturam leviorum equitum obtinebat , post Laurentii Bembi legati obitum copiis omnibus cum summo imperio prærerat , atque Leucosia , quæ præcipua regni situ , & munitio-
*Hestor Baleonius
summus in
Cypro mili-
tia præfe-
ctus.*
*Nicolaus
Dandulus
supremus in
Cypro præ-
fes.*
*M. Anto-
nius Bra-
gadenus
Thamass
præfetus.*
*Hieronymus
Martinien-
sis obitus.*

civitas habebatur , confidebat . Nicolaus Dandulus supremum magistratum (quem *Locotenentem* vocant) Venerio absente , legato , gerebat . Marcus Antonius Bragadenus , præfetus , Tamassum administrabat . Baleonius cum ad hostium sustinendos impetus Leucosiam satis munitam animadverteret , Tamassum profectus , una cum Bragadeno , quæ ad perficiendas munitiones spectarent , sedulo curabat , quod ibi exscensionem Turcas facturos rumor erat . Eodem Dandulus , de iis , quæ in re præsenti necessaria erant , cum Bragadeno colloquuturus , accessit ; in Aschiæ pago de bello administrando concilium indicitur , in quo , præter Venetorum magistratus , Baleonius , summus militiæ præfetus ; Eugenius Singliticus , Rochasii Comes ; Jacobus Nores , Lepti Comes ; præcipui peditum ductores , Leucosiensium rebus procurandis præfecti interfuere : ut quacunque ratione egressu hostes averterentur , decretum ; intra Leucosia urbem septuaginta quinque ; intra Tamassum viginti quinque incolarum millia cogi ; reliquos mortales cum jumentis , arduis , atque inaccessis montium recessibus recipi statutum ; circumiecta Leucosia loca , ne hostibus tutus insidiis aditus pateret , sed liber undequaque prospectus esset , ut demoliantur , decernitur . Hieronymo vero

Mar-